



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs V. De prædicamento qualitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

TRACTATUS V.

De predicamento qualitatis.

CAPUT I.

Quid sit qualitas predicamentalis?

I  VALITATEM cum Aristotele de cathegoriis cap. 8. definitio, *qua quales quidem dicuntur*, id est, per quam interroganti qualis sit res, apte, & accommodate responderetur: qua ratione quærenti, qualis sit homo aliquis; esse album, aut nigrum; iustum, aut iniustum refertur. Vulgaris autem obiectio contra hanc definitionem est, eam ignotum per æquè ignotum explicare: siquidem rem esse qualem, aut minus quam ipsa rei qualitas, nos latet: hominemque esse, verbi gratia, album sub his terminis non magis quam hominis albedo nobis innotescit. Verum, ut intuenti constabit, Aristotelica qualitatis definitio non ignotum per ignotum, sed aliquid per se notum per aliud per se notum explicat: plures enim conceptus communes, & per se noti hac sola ratione explicari possunt, ut cum ens, verbi gratia, per aptitudinem ad esse explicatur. Quod autem hinc sequitur, qualitatem propriè à nobis non definiti, eo quod definitio, omnisque modus sciendi sit oratio ignoti manifestatiua, inconueniens non esse arbitror: præsertim si quod in Dialectica probabile esse ostendi, ens in communi genus non sit: sic enim nullum predicamentum per genus, & differentiam explicari, seu definiti poterit. Porro si quis ens genus esse, & qualitatem strictè definire posse contenderit, ita eam definiat: *Qualitas est tale genus entis, quod similitudinem, aut dissimilitudinem cum alio fundat*. Sic non multò suprà quantitatem per fundamentum distinctionis explicuimus, eamque etiam per fundamentum æqualitatis, aut inæqualitatis definire possemus.

2 At B. Thomas 5. metaphys. lect. 9. ac 3. physicoz. lect. 5. & Scotus in 4. sententiar. distinct. 12. quæst. 2. alique plures definiunt qualitatem esse *accidens absolutum, quod consequitur formam*; cum tamen quantitas sit accidens absolutum, quod solam materiam consequitur: reliqua verò entia, aut accidentia quidem, aut certè accidentia absoluta non sint. Hac tamen definitio displicet: namque possibilis est de potentia absoluta, aut etiam ordinaria, in alio tamen rerum ordine, calor, verbi gratia, essentialiter alligatus subiecto, eique per seipsum vnitus; cuiusmodi esse omne etiam accidens de facto existens arbitratus est Aristoteles, & quisquis Philosophorum nostræ fidei mysteria non sapuit: at eiusmodi calor esset qualitas, si existeret: & interroganti, qualis esset homo eo affectus, calidum esse rectè responderi posset: aliunde vero talis calor non esset accidens absolutum: male ergo per accidens absolutum, accidens definitur. Rursus: si de forma incompleta sermo sit, qualitates Anglicæ ea definitione non comprehenduntur; neque etiam lumen aëris, quod nec formam incompletam aëris, neque etiam materiam consequitur, eive determinatè debetur. Quod si de forma completa, & subsistente sermo sit, certè in qualitates animi rationalis, & cuiusvis alterius formæ incompletæ ea definitio non quadrabit. Demum si de forma, prout à completa, & incompleta abstra-

hit, & vtramque reipsa comprehendit, sermo sit: hominis figura qualitas non erit: idemque dicendum erit de lumine: quæ nullam formam completam, aut incompletam necessario consequuntur, aut etiam efficiunt.

Plures etiam Thomistæ innixi auctoritate Angelici Præceptoris 1. 2. quæst. 49. artic. 2. definiunt qualitatem esse, *modum substantiæ ab ea realiter distinctum, eique tribuentem peculiare esse accidentale*. Verum in primis, si de modo propriè sumpto sermo sit, hæc definitio qualitates absolutas non completitur. Deinde tamen in Deo sit accidens aliquod propriè sumptum, tamen in eo est qualitas propriè sumpta, ut cap. sequenti constabit: ac nullus in Deo modus ab eo realiter distinctus admitti potest. Præterea non solum qualitas, sed quantitas, vbitas, & duratio, & quoduis accidens id habet, ut substantiam quodammodo modifcet, eique esse accidentale tribuat. Pater Suarez disp. 42. metaphys. sect. 1. definit qualitatem esse accidens quoddam absolutum adiunctum substantiæ creatæ ad complementum perfectionis eius tam in existendo, quam in agendo. Cæterum hæc definitio peccat, tum in eo, quod qualitatem esse accidens absolutum statuatur, tum demum in eo, quod munus perficiendi substantiam in esse, & operari, soli qualitati assignetur; cum tamen illud quantitati, vocationi, durationi, & aliis accidentibus conueniat, ut intuenti constabit. Pater Hurtado disput. 19. metaphys. sectione 1. qualitatem definit, *accidens absolutum à quantitate distinctum*, qua definitione censet excludi substantiam, quia non est accidens; reliqua accidentia, quia non sunt absoluta; quantitatem vero, quia à se non distinguitur, tamen accidens absolutum à substantia distinctum sit. Verum immeritò qualitatem esse absolutam, eamque & quantitatem à substantia distingui supponit. Tandem alij definiunt qualitatem, *accidens absolutum de se aprius semota quantitate penetrari cum alio eiusdem rationis*. Hæc tamen definitio præter reliquarum vitia, duobus insuper obnoxia est: tum quia falsò supponit effectum quantitatis esse impenetrabilitatem: tum etiam quia quantitati conuenit: quantitas enim semota quantitate, etsi per impossibile quantitas non esset, cum alio eiusdem rationis penetrari posset.

CAPUT II.

Quotuplex sit qualitas?

4 **Q**UATUOR qualitatis species ab Aristotele capite 8. de qualitate assignantur: qualitas primæ speciei ad facile operandum deseruit, etsi permanens sit, ac difficulter abiici possit, habitus vocatur, ut scientia, aut virtus habitualis: si vero fluxa sit, & facile transeat, dispositio appellatur, ut scientia, & virtus actualis. Qualitas secundæ speciei ad operandum simpliciter necessaria est, & naturalis potentia dicitur, cum perfectæ operationis principium sit, ut acumen ingenij; naturalis vero impotentia, cum imperfectæ operationis radix est, ut hebetudo ingenij. Tertia species est earum qualitatum, quibus sensus externi mouentur; atque aliquid aliud intentionaliter pati coguntur. Quæcumque autem diuturna est, passibilis qualitas dicitur, ut sonus, aut color: quæcumque verò caduca, & fluxa fuerit, passio nuncupatur, ut rubor ex pudore, & pallor ex timore contractus. Quarta species formam, & figuram sub se continet: complexio enim primarum qualitatum, si situm

stum aliquem, aut positionem, siue collocationem partium, tanquam subiecto inseparabiliter, ac determinatè debitam inferat, forma externa hominis, verbi gratia, aut leonis, alteriusve animalis appellatur. Quod si nulla habita ratione subiecti, & omnino præter eius exigentiam detur talis collocatio partium, ut cum ex ligno fit globus, aut triangulus, complexio primarum qualitatum cum ea collocatione coniuncta figura vocatur. Multa de bonitate huius diuisionis communiter disputari solent, quibus tamen ut non multis necessariis superfedeo, ac duo tantum in controuersiam reuoco.

5 Quorum primum sit, an qualitas quadrifariam diuisa, atque vniuersim sumpta à substantia rei qualis distinguatur? Auctores communiter partem negatiuam supponunt magis, quam probant, aut etiam disputant: probabilem tamen arbitror oppositam. Primò, quia quantitas ut sic non semper à substantia distinguitur, sed ab ea interdum distinguitur, interdum vero cum ea identificatur: cur ergo idem de qualitate dici non possit? Secundò, quia in Deo est propria qualitas, & tamen in eo non distinguitur realiter ab ipsa eius substantia: aliàs accidens aliquod ei inesset, proprièque mutaretur: ergo, &c. Maior constat ex illo Athanasij in symbolo, *qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus*. Tertio, quia similia sunt, quorum qualitas est vna: at substantiæ per se ipsas similes sunt: ergo & seipsis quales sunt. Quarto, quia potentia naturalis iuxta Aristotelicos omnes est qualitas secundæ speciei: at potentia naturalis aquæ, verbi gratia, & frigoris in semetipsa productionem ab eius substantia realiter non distinguitur.

6 Oppones tamen primò, qualitatem, & substantiam rei qualis ad diuersa prædicamenta attinere. Verùm quod idem absque vlla distinctione reali ad diuersa prædicamenta attinere possit, & à me sæpè sapius probatum manet; & apud Aristotelem in præfenti cap. 8. de qualitate expressum habetur in hæc verba: *Præterea si quid idem & quale, & ad aliquid sit, in utrisque ipsum generibus collocari, enumerarique haud absurdum erit*. Oppones secundò, si in Deo esset qualitas propriè sumpta, sicut in probatione nostræ sententiæ assumpsimus, aliquod accidens propriè ei inesset, ac proinde strictè mutaretur. Verùm qualitas à substantiali, & accidentali abstrahit: unde qualitas absque accidenti, & mutatione in Deo reperiiri poterit: haud aliter ac quantitas perfectionis, relatio triplex, duratio, vbicatio, & actio in eo sine mutatione, aut accessione reperiuntur. Oppones tertio: accidens propriè sumptum à substantia realiter distinguitur, ut supra tractatu fassus sumus: at qualitas est vnum ex nouem accidentibus prædicamentaliibus, quæ substantiam sequuntur: ergo à substantia realiter distinguitur. Respondeo, accidens, quod in nouem posteriora prædicamenta quodammodo dissecatur, ab accidenti physico, ac proprio; & accidenti logico, & improprio abstrahit: si enim accidens solum propriè ac physice sumptum eius partitionis radix, siue diuisum esset; iam relationes diuinæ, aut etiam creatæ vbicatio, & duratio Dei, & eius actio substantialis, & immanens ad prædicamentum ad aliquid, vbi, quando, aut actionis non attingerent: quapropter qualitas propriè sumpta non semper propriè accidens est: ac proinde à substantia aliquando non distinguitur.

7 Posterius autem, quod in præfenti breuiter discipulare libet, est quousque qualitates supra diuisæ inuicem opponantur? Quod ad qualitates physicas attinet, Capreolus, Iauellus, & alij Thomistæ censent,

ne supernaturaliter fieri posse, ut idemmet subiectum calorem & frigus intensum, verbi gratia, simul suscipiat. Immeritò tamen, quia etiam duo corpora sese ab eodem loco naturaliter expellunt, & tamen supernaturaliter in eodem loco penetrari possunt, & de facto penetrata sunt, cum Christus ex intemerata Virgine natus est: aut cum irreuoluto sepulchri lapide rediuius surrexit: aut cum cælos gloriosus ascendit. Cur ergo tamen calor, & frigus in eodem subiecto naturaliter impossibilia sunt, supernaturaliter tamen componi nequeant? Quod autem ad qualitates intentionales, assensum scilicet, & dissensum; amorem, & odium spectat, non opponi inuicem spectatà absoluta Dei potentiâ, sed duntaxat ex natura rei probabilius etiam arbitror, atque ex professo probabo lib. 7. metaph. tract. 12.

CAPVT III.

Explicantur proprietates qualitatis.

8 Definitâ, quoad eius facere potuimus, ac diuisâ qualitate, relinquitur, ut eius explicemus proprietates: quarum prima est, habere contrarium: quod intelligendum est de qualitatibus, tum in abstracto, tum etiam in concreto: neque enim albedo tantum contrariatur nigredini, sed album nigro, & è conuerso. Qua ratione dixit ille libro 2. Metamorphos. de coruo, quem prius album fuisse consinxit, in nigrum transmutato: *qui color albus erat, nunc est contrarius albo*. Porro autem hæc proprietas non conuenit omni qualitati: intellectus siquidem est qualitas, necnon voluntas: quibus tamen nihil est contrarium, nihil positium, quod eos à comuni expellat subiecto, videlicet anima, sicut ad contrarietatem oportet. Cæterum huiusmodi affectio est solius qualitatis: nam tamen actiones, & passionες dici soleant contrariæ; ea tamen contrarietas est non primaria, sed secundaria: ideo enim calefactio, verbi gratia, & frige factio sunt contrariæ, quoniam ad contrarias terminantur qualitates, calorem scilicet, & frigiditatem. Similiter, tamen relatiua dicuntur ab Aristotele, & cæteris Dialecticis contrariæ; tamen hoc eodem modo interpretandum est: idcirco namque esse nequeo simul similis, & dissimilis alteri; quia habere non possum vna albedinem, qua ei assimiler, & nigredinem, merito cuius ei dissimiler: tantum ergo secundaria oppositio inter relationes similitudinis, & dissimilitudinis interuenit, primaria verò non eas inter, sed potius inter qualitates, quæ sunt earum, ut aiunt, ratio fundandi, illisque fulcimentum præstant. Par ratio est contrarietatis inter alia quæuis accidentia reperi: quod si de substantia sit sermo; forma quidem substantialis incompleta, quidquid alij sentiant, strictam exercet contrarietatem, & oppositionem cum alia: at nulla substantia completa eius est capax, ut visum, explicatumque in loco: hoc ergo sensu solius qualitatis, & non substantiæ est habere contrarium: nam illa quantumuis in suo genere completa contrarietatem cum alia subit secus verò ista.

9 Secunda qualitatis proprietas est suscipere posse magis, & minus, intendive, aut remitti: aliquid enim est magis album, aut nigrum, quam aliud, & non nihil è contrario minus: eadem autem est ratio dulcis, amari, olidi, sonori, lenis, asperi, rari, densi, aliorumque similium. Porro huiusmodi proprietas non conuenit omni qualitati: fac etenim intellectum, verbi gratia, esse qualitatem realiter distinctam

ab

ab anima rationali; haudquaquam poterit gradibus vllis remitti, vel intendi, haud præstare, vt vna rationalis anima sit magis intellectiua, quam alia, præsertim sibi æqualis: quod si intellectus sit qualitas realiter indistincta ab anima, idem à fortiori, vt aiunt, est tenendum, tum de illo, tum etiam de voluntate & cæteris id genus potentiis. Rursus vnus triangulus non est magis talis, quam alius, nec similiter quadrangulus, aliave figura præstat alteri sibi cognomini. Adde, nec qualitati vlli in abstracto, quantumvis ita sumpta veram rationem qualitatis obtineat, eam conuenire proprietatem, quandoquidem vna albedo, v.g. non est magis albedo, quam alia: hoc tamen vñs obtinuit, vt vna albedo dicatur intensa, & alia remissa, quæ est in alterutra, vel graduum multiplicitas, vel paucitas.

10 Postrema qualitatis proprietas est, vt penes eam res dicantur inuicem similes, aut dissimiles: quamuis enim esse fundamentum harum relationum eius sit essentia, iuxta superius constituta; cæterum ipsæ in actu secundo ei velut proprietates accidunt. Conuenit autem alterutri, non tantum omni qualitati, sed etiam soli, si sermo sit de similitudine, ac dissimilitudine physice, ac prescè sumptis; sin autem de eis metaphysice, ac latius vñsripatis sermonem instituas, multis, præter qualitatem, eas conuenire repereris: videlicet substantiæ; quo pacto Petrus, verbi gratia, & Bucephalus sunt dissimiles in ratione hominis, & dissimiles in ratione animalis; necnon quantitati; vna namque dualitas dici consuevit eo modo similis alteri, & vnum tricubitum alteri. Idem dicendum de cæteris prædicamentis: quæ enim supra disputata sunt de æqualitate, & inæqualitate respectu quantitatis, ea in præsentem locum habent in similitudine, & dissimilitudine intuitu qualitatis.

TRACTATUS VI.

De prædicamento relationis.

CAPUT I.

Quid & quotuplex sit relatio?

1 **R**ELATIO est, cuius totum esse est esse ad aliud, verbi gratia, similitudo in eo sita est, quod vnum vi illius sit sicut aliud: dissimilitudo in eo, quod aliter, quam aliud; æqualitas in eo, quod vnum non est maius alio; inæqualitas in eo, quod vñ minus alio. Ita Aristoteles in categoriis cap. 7. hisce verbis: *Ea verò dicuntur ad aliquid, quæ id, quod sunt aliorum esse, aut ad aliquid aliquo alio modo dicuntur.* Consentit Damascenus cap. 3. 4. Dialecticæ: *Ad aliquid, inquit, sunt, quæcunque ipsa, quæ sunt aliorum esse dicuntur, vel qualitercunque aliud ad aliud.* Et paulò infra: *Hoc est esse eorum, quæ ad aliquid, & hæc ipsorum est hypostasis in eo, quod est ad aliud dici, id est in eo, quod est habere habitudinem ad aliud.* Id ipsum etiam tradit Augustinus in categoriis cap. 11. *Ad aliquid ergo categoriam vocamus eam, quæ id, quod est dicitur ex altero sine cuius Societate esse non possit, & cuiusvis omnis ex alterius coniunctione descendit, vt duplum simpli dicitur duplum, & maius minoris dicitur maius, simile simili dicitur simile.* Claret igitur ad aliquid, non sua vi, sed alterius coniunctione consistere. Id etiam cæteri omnes,

2 Secundo definiiri potest, & solet relatio; quæ ita duo coniungit extrema, vt altero sublato non possit alterum intelligi, alteroque posito necessariò inueniatur & alterum: nam si patrem dixeris, necessariò intelligetur & filius: quod si non intelligas filium, Patrem de medio sustuleris. Sic etiam Dominus, & seruus, duplum, & simplum, & cætera id genus simul sunt, & simul non sunt, atque alterutrum se, vel perimunt, vel ostendunt. Quocirca meritò Augustinus loco supra citato: *Tunc ergo, & verè, & proprie ad aliquid dicitur, cum sub vno ortu, atque occasu, & id, quod iungitur, & id cui iungitur inueniatur.* Porro autem haud est necesse, vt quoties datur vnum relationum, detur etiam aliud acta, sed satis est, si in potentia: scibile namque refertur ad scientiam, non quæ necessariò existat, sed quæ possit existere.

3 Relatio, alia est realis, alia rationis: illa est quæ extrema realiter distincta comparat, adeoque est in rebus, circumscripta quauis fictione intellectus, qualis est ea, quæ inter Patrem & filium, actumque, & obiectum interuenit: hæc extrema realiter indistincta necit, ac proinde non est vera relatio, sed ab intellectu conficta, cum nihil possit verè referri, nisi ad aliud propriè tale: atque eiusmodi est relatio, quæ dicitur aliquid sibi idem, quæue subiectum fingitur referri ad prædicatum, aut genus ad collectionem specierum.

4 Deinde relatio, alia est secundum esse, alia est secundum dici: hæc in eo consistit, quod rem aliquam per modum alterius concipiamus, vt cum Deum veluti corporeum, & Angelum veluti inuenem alatum ob oculos mentis nobis proponimus: illa verò est quænis alia realis relatio. Non pauci tamen superiores diuisiones confundunt, realemque relationem putant perinde esse, atque secundum esse, ac relationem rationis dicendam esse secundum dici. Aliqui etiam existimant relationem secundum esse recidere in prædicamentalem, de qua inferius, & secundum dici in transcendentalem, quæ diuidi solet ex aduerso prædicamentalis. Sed res est parui momenti, parumque interest, an cum his, vel cum illis, vel cum neutris loquamur. Tertio; relatio, alia est mutua, alia non mutua: quandoque enim duo extrema mutuo se respiciunt, vt Pater filium, & hic Patrem, quandoque verò non reciprocantur inuicem; actus enim respicit essentialiter obiectum, hoc autem ita non respicit actum, sed potius ab eo respicitur. Præterea quarto; relatio, alia est æquiparantia, cum extrema aliqua in eodem genere se respiciunt, vt similitudo, quæ Ignatium Xauerio, & Xauerium Ignatio assimilât, aut æqualitas, quæ anima Petri, verbi gratia, est æqualis animæ Pauli, & è contrario: alia est disquiparantia, cum extrema in diuerso genere se respiciunt, vt Paternitas, quæ Sophroniscum veluti Patrem refert ad Socratem, hunc verò ad illum, non vt Patrem, sed vt Filium: aut relatio inæqualitatis, quæ linea diametralis refertur ad lateralem, velut ea maior, contra verò hæc ad illam veluti ea minor.

5 Harum diuisionum alia sunt perquam faciles; at alia difficultate non vacant; eam certè auctoribus facessunt. Circa eam, quæ dissecata est relatio in realem, & rationis quæres, an sit vniuoca, vel potius analogica? quod priori modo se habeat, non verò posteriori, sentiant Caietanus 1 part. questione 28. art. 1. & 2. Ferrara 4. contra gentes cap. 14. Capreolus in primum dist. 33 q. 1. Soncinas lib. 5. metaphys. quæst. 26. conclus. 2. aliique plures Thomistæ. Quorum fundamentum est, relationem esse, cuius totum esse est esse ad aliud: at relatio rationis, quamuis fictum,